

Q. D. B. V.

ACTUM ORATORIUM

Dec

OFFICIIS STUDIOSORUM;

In Illustri Augusteo

ad d. 18, Jan. M DC LXXI, instituendum

intimat

M. CHRISTIANUS Weise,

Polit. Eloq*v.* & Poës. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS,



Aria STUDIOSORUM sunt
PRIVILEGIA, qvorum qvidem
magnam nubem proponere solent,
qvicunqve ad Avthenticam Habitâ
notas addiderunt aut commentarios.
Istam enim Constitutionem Frideri-
cus I. Imp. anno 1158. diligentii inqui-
sitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium
Judicium & aliorum Procerum sacri ejus Palatii exami-
natione, publicam & perpetuam legem esse jussit, in
amiceno campo ad Roncalias, qui locus Italiæ est pro-
pè Placentiam: Ut adeo, firmo adhuc talo, apud nos
stare videatur. Atq; ipsa privilegii summa huc reci-
dit: posse Scholares (ita enim appellabantur, qvi hodie
honestius se vocari putant Studiosos) tuto venire ac
secure habitare, in jurias ab aliis sibi illatas graviter ac-
cuseare, non nisi coram singulari judice conveniri.
Ampliantur vero ista à Doctoribus, & Limnæus Jur.
Publ. l. 8. c. 9. distingvit inter Privilegia generalia &
specialia, specialibus nimirum annumerans, qvæ huic
vel illi Studiorum Universitati sigillatim fuerint præter
Avthent. Hab. concessa. Add. Matth. Steph. de Ju-
rûd. lib. 3. part. 2. cap. 8, 9, 10. Richter. ad dict. Const. part. 3.
Hunn. de Priv. Stud. th. 18. seqq. Lans. de Acad. p. 60. & mul-
tos alios. At maxime liberalis est Horatius Lutius Callien-
sis in suo de Privilegiis studentium tractatu, qvi, ut rotun-
dum, opinor, eliceret numerum, centum observavit
Privilegia, ita tamen inter le distincta, ut contra distin-
gvendi leges, unum ab altero membrum absorbeatur.
videlicet Privil. X. est: *Præsentes existimari qui studiorum
causa absunt, & ideo eorum commodis poriri.* Seqvitur Privil.
XI. *His, qui studiorum causa absunt, concedi omnia privilegia,*
que

quæ justa & probabili causa absentibus data sunt. Additur
Privil. LXXVII. Absenti studiorum causâ concedendam esse
in integrum restitutionem. Succedit Privil. LXXXVII. Mo-
nachum absentem causâ studiorum, eleemosynam facere posse.
Subiectitur Privil. XCII. Absentes studiorum causa non vi-
deri in fraudem abesse. Novum est Privil. XCIII. Absentis
causâ studiorum, æquè ac si esset præsens & commensalis, bene-
ficium conferri posse. Idem recurrit in Privil. XCIX. Ab-
sentibus causa studiorum beneficiorum fructus concedi, ac si re-
siderent. Opus tandem fuit Privil. C. Absentem studiorum
causâ, non teneri dicere horas. Plura non affero, cùm ex
istis constet, qvàm accurata numeri istius centenarii
sit ratio. Sic etiam in eodem autore multa occurunt,
qvæ nostris moribus videntur absurdæ, velut Privile-
XXXIX. Dominum compelli domos scholaribus locare. Privil.
XL. Dominum scholasticum conductorem expellere non posse, et
iam si propriis usibus domus sit necessaria. Privil. XLI. Domi-
num alii domum locare non posse, si scholares idem quod alii obtu-
lerint, &c. Imò qvædam ridicula ferè sunt, & qvo-
cunq; alio potius nomine, qvàm Privilegiorum veni-
re solent, qvo pertinet Privil. XLIX. Scholasticis permis-
sum esse festi diebus studere. Cœterūm eò collimat *Lutiis*,
omnia beneficia Juris, qvalibuscunq; concessa sint
personis, patere etiam Studiosis, ab oneribus verò tam
realibus qvàm personalibus esse absolutos.

Eç sanè multa veritati conveniunt, si intellectum à
nostra petamus consuetudine, nec qvod restrictum
jam est, latius cupiamus extendi. Nam in Germaniâ
adhuc studiosi à vectigalibus, tributis & servitiis sunt
immunes, peculiarem agnoscunt Judicem, ad ordina-
rii processus prolixitatem trahi nequeunt, & qvæ de-
gentibus in Academiis obviant alia.

Interim si causam indagemus, cur præ coeteris Studiosi tantis maestati fuerint immunitatibus? Imperator quidem aliquas exponit, è qvorum tamen numero, qvæ sit præcipua, dubitatur à qvibusdam. Dicitur studiorum causâ exules fieri, qvod olim maximè obtinebat, ubi ob nimiam Academiarum raritatem, longinquis opus erat itineribus. Sed ista ratio magis cadere videtur in mercatores, qvorum continuum sæpè est exilium; etiam in opifices, qvos certæ tandem excursiones legitimant. Dicitur deinde, Scholasticos multorum injuriæ esse obnoxios, affertq; Limnæus l.c. cap. 6. n. 3. definitionem Epieteti apud Arrianum, Scholasticum esse animal, quod ab omnibus deridetur. Sed ista qvoq; ratio hodie vix militat. Nam apud antiquos peculiari designabantur habitu, qvi literis darent operam, suosq; gestabant cucullos, sua liripipia, qvasi dicas Cleripepla; qvæ informis vestimentorum ratio, qvo magis à reliquoq; discedebat consuetudine, eò facilitiori exposuebatur ludibrio. Hoc autem, utinam Studiosi ad vestimentorum luxum nimis proni, alios æqvè splendide non vestitos risu non exciperent. Restat igitur, ut dicamus hanc præcipue esse rationem, qvæ & olim moverit Imperatorem, & hodie ad conservanda ea, privilegia plurimum faciat, quod de divitibus fiant pauperes, hoc est, in tali versentur studio, qvod magnos requirat sumptus, nec tamen acquirendæ pecuniæ medium videat ullum; cum ex adverso mercatores & opifices, liberum ubiq; victum inveniant, ac eum in finem potissimum è patria excedant, ut feliores indiscantur acquirendi modos. Et profecto, quam libera est studiosorum gēs, tam qvoq; est misera si destitutatur sumptibus, nec vana Lutii querela est in p. p.

20. Mer-

20. *Mercatores, Caupones, aliosq; cum studiorum jacturā semper fieri velle locupletiores.* Qvare ipsa postulare videtur necessitas, ut, si conservari debeant in Rep. literarum studia, eorum cultores à communibus liberentur oneribus, qvippe qvod onera ad neminem spectare possint, nisi qvi sentiat commodum, juxta vulgat: *Commoda qui sentis, jungas omnes emolumentis,* *Barbosa Loc. Com. lit. O. n. 8.*

Interim præterire non possumus agitatam à multis quæstionem, an, qvi versantur in GYMNASIIS, ejusmodi Privilegiorum quoq; sint participes? Obstare enim videtur, Legem dicere saltem de studiis privilegiatis seu generalibus, quæ splendorem à supremo acceperint Principe, vid: *Lut. cap. fin. n. 23*, ubi licet Academiarum ac Gymnasiorum nomina confundat, per Gymnasia nihil intelligit aliud, qvam Academias, cum eò referat, Bituricense, Avenionense, Montis pessulanum studium, quæ juribus Academiarum gaudent sine dubio. vid. etiam *Hunn. l. c. th. 7. & 8.* qvi suæ sententiæ Patronos allegat *Donellum & Gilkenium*, *Add. Ern. Cothmann. Acad. Resp. 14. n. 96.*

Alios adhuc autores affert *Lansius de Acad. p. m. 4.* qvi è prolixâ *Christoph. Pelargi* Oratione demonstrare vult licentiam Academicam ad Juvenes istos extendi non debere.

His tamen non obstantibus, rectius omnia ea privilegia, quæ studiosis competit Academicis, iisdem etiam tribuimus, qvi vivunt in Gymnasiis. Probatur enim 1. ex verbis in *Avihenc. nostrâ* generalibus, quæ loqvuntur de personis studiorum causa eò se conferentibus, ubi excentur literarum studia. Lex autem generaliter loquens, generaliter est intelligenda. *Richter l. c. part. 2. p. 20.* Probatur 2. qvod rationes privilegii

impulsivæ utrinque locum habent. *Math. Stephan. l.c.*
cap. 5. n. 45. & sane facilius acquirere possunt pecu-
niā, qvi versantur in Academiis, absolutoq; quasi stu-
diorum cursu, proprius imminent promotioni, quam
qvi constituti in primo studiorum gradu, prolixiorem
adhuc decurrenti viam præ oculis habent. Et hinc si
vel maximè constitutio sæpè nominata ad studia pri-
legiata respiciat, locum tamen inveniet, quod affert
Barbosa Loc. Com. lit. L. n. 4. Non solum illud lege continetur &
approbat, quod verbis legis exprimitur; verum illud etiam
quod sententiâ & mente sive ratione legis per certam ratiocinatio-
nem indicatur & eruitur. Proinde etiam per consequen-
tiā privilegiis gaudere dicuntur ipsi famuli & mini-
stri studiosorum, *Limn. l. c. cap. 9. n. 53.* Ut ita per melio-
rem consequentiam argumentari liceat ad Gymnasia.
Accedit 3. Tempore Friderici I. in Germania Acade-
miam extitisse nullam, sed paucas saltem floruisse in
Italia. Prima enim Heidelbergensis anno 1386. in
Germania surrexit, ut ex ipso Acad. Msc. probat
Hottingerus in not. ad Orat. secul. de Collegio sapientiae hab. an-
no 1656 pag. 30.

Credibile igitur vix est, Imperatorem præterire vo-
luisse Germaniam, & ea hinc inde Monasteria, qvæ
Gymnasiorum loco Juventutis informandæ fungē-
bantur officio, quasi negligere.

Jam quod adversarios supra adductos concernit, *Lu-
tius*, dicit quidem restringi legem ad studia generalia s. i.
Academias; sed ex verbis directe probare non potest.
Imò Gymnasia venire quoq; possunt studiorum pri-
legiatorum noniine, si respiciamus, quod in *Disp. de
jur. Princ. ostendi*, Principem in suo territorio analo-
gicè esse Imperatorem, unde sequitur posse cum privi-
legiis

legiis munire aliquem locum , personasq; ibi degentes , immunitatum facere participes . Nec , credo , istas eripiet quisquam Coburgensi , Byruthino , Durlacensi , utriq; Servestano , & quod inter multos alias ultimo loco nominari non debet nostro Augusteo . *Lansium* quidem non exclusisse video paedagogia , Academiis quibusdam annexa *lit. C. p. 4.* sed illa ipsa paedagogia , quoniam autoritatem non acceperunt ab Imperatore , sed a Principe cuius est Academia , melioris esse conditionis nequeunt , quam reliqua Principum Gymnasia . Qvod tandem alteram *Lansii* objectionem attinet , ea libertatem confundit cum licentiâ , & sicut nullibi legitur , licitum seu probatum esse in Academiis discursitare per Plateas , juramentis & Sacramentis Christi ludere , senioribus insultare , &c. de quibus conqueritur *Pelargus* : ita nemo fuerit , qui talia laudare velit in Auditoribus Gymnasiorum . Nec ea mens Imperatoris fuit , studiosis omnia relinquare pro lubitu . Id enim si voluisset , cur singulares iisdem consti-
tuisset Judices ? Sed id saltem cautum fuit , ut liberi essent ab aliorum oneribus & injuriis , non ut ipsi temere injrias inferrent aliis *Conf. Besold. dissert. de Stud. Mag. Lic. & Dd. cap. 2. p. 12.*

Cum itaq; qui in nostro hactenus Gymnasio literis dederunt operam , plena sibi arrogare queant studiorum privilegia , qualiacunq; Principum concessio iisdem indulxit : Cogitare etiam ante omnia debent , *Bene-
ficia dari propter Officia , Richter. l. c. p. 29. Barbosa lit. B. n. 3.* Ut , si frui cupiant privilegiis , dignam ista libertate vitam gerant , nec sub inani nominis larva quamvis pecandi licentiam tacite immo aperte foveant .

Quamobrem optimam declamandi materiam elegisse vi-
den-

dentur politissimi Dn. Studiosi, qvi suos in eloquentiâ profectus
in eo potissimum comprobare cupiunt argumento, qvod & lau-
datissimam in illorum animis indeolem demonstret, & alios, si
qvi hactenus officii sui parùm fuerunt memores, ad similem ex-
citare queat alacritatem. Diximus exercitio tam honesto
diem crastini, primoq; prodibit loco

DN. JOHANNES HEINRICUS à Böse / Nobil. Thuring.
Is sub persona Prologi ostendet, magnam esse turpitudinem, si
nomina rebus non respondeant, atq; adeo Studiosi, reipsâ ni-
hil minus sint quam Studiosi.

Succedit

DN. ADAM GOTTLÖB BERLICHUS, Dresd. Misn.
Commendaturus ante omnia debitam in literis diligentiam, &
cum studia, aliquaque dirigi videantur ad splendorem, aliquaque ad
Iucunditatem, aliquaque tandem ad utilitatem, prudentem undique
svadebit cautionem, monebitque, ne aut Præceptores negligant,
aut ordinem deserant, aut modestiz limites transgrediantur.
Hunc excipiet

DN. JOHANN BENJAMIN NAUMANN, Zemptschës. Mis.
Dicturus de moribus, non quidem illis qui parum absunt à va-
nitate, sed qui consistunt in Virtute. Et adeò exponetur, quo-
modo Studiosus excolere debeat mores erga Deum, erga se-
ipsum, erga Proximum, sive is sit superior, sive æqualis, sive in-
ferior. Tandem exhibitus Epilogum, notus jam redibit
Prologus, breviq; iudicio Morum literarumque conjunctionem
confirmabit, additâ fideli ad Commilitones adhortatione.

Cum autem gravissimos in hac Civitate Testes exceptemus,
qui & Actum illustrent, & ad continuanda exercitia adeo ne-
cessaria stimulum addant ulteriorem, omnes Literarum Patro-
nos ac Fautores vehementer etiam atque etiam rogamus, velint
brevem suis occupationibus indicere intermissionem, & in Au-
ditorio nostro honorificam suam sistere præsentiam. Studiosos
vero, quos maximè tam nobilis concernit questio, sponte ac-
cessuros confidimus. Utrinq; autem reciprocum pollicemur,
observantiam & promptitudinem, cum officiis ac amore con-
junctissimam. PP. d. 16. Cal. Jan. 1671.